



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Institutiones Canonicae Sive Ius Ecclesiasticum

Wiestner, Jacob

Monachii, 1706

Titulus VII. De Eo, qui duxit in Matrimonium, quam polluit per Adulterium.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-62672](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-62672)

mutetur: tum verò, quòd votò sibi factam promissionem Deus non aliter acceptare, aut ex ea acceptata ortum debitum, quatenus ad gravis & injustè illati damni resarcitionem necessarium est, remittere videatur, *citr.* Sanchez *disp.* 45. n. 3. Vasquez *dub.* 6. n. 20. Pontius n. 10. & Palao n. 7.

Sextò, ex eadem ratione violatam ducendi obligatio etiam datur, & ex voto ortæ Religionis obligationi prævalet casu, quò femina, nullà quidem matrimonii promissione factà, sed vi metue aut dolo est corrupta, si injuriæ & damni

illati resarcitio aliter fieri non possit, secundùm DD. communem sensum & intellectum c. 1. & c. Peruenit 2. de Adult. & *supra*, quem ad hanc Rubricam dabitur cum præsentis casus pleniori declaratione. Hòc tamen & præcedenti etiam casu, antequam cum corrupta matrimonio ineat: aut, si hoc cum eà initurus Religionis votò obstrictus sit, saltem ante ejus contracti consummationem petenda est dispensatio in voto: quam P'apa, & urgentis necessitatis casu Episcopus facile concedet *citr.* Pontius n. 9. & Palao n. 17. in fine.



TITVLVS VII.

De Eo, qui duxit in Matrimonium, quam polluit per Adulterium.

SUMMARIUM.

- | | |
|--|--|
| <p>1. Adulterium & Homicidium conjugum dirimunt.</p> <p>2. I. Inter adulteros hoc ineuntes,</p> <p>3. II. Vel de eo ineundo sibi fidem mutuò dantes:</p> <p>4. Sive ante, sive post adulterium,</p> <p>5. Alterius conjugis vivente, commissum:</p> <p>6. Nisi cum isto initum conjugium fuisset irritum,</p> <p>7. Ignoratum,</p> <p>8. Vel secundùm aliquos promisso ficta,</p> <p>9. Aut adulterium tantùm attentatum.</p> <p>10. III. Inter adulteros, quorum unus in conjugis mortem,</p> <p>11. Cam effectù,</p> | <p>12. Et conjugij ineundi animò est machinatus.</p> <p>13. IV. Inter duos alterius conjugem occidentes.</p> <p>14. Adulteriò Conjugium non dirimitur,</p> <p>15. Nisi machinatio &c. accedat.</p> <p>16. Impedimentum hoc ab ignorantibus contrahi, negantium:</p> <p>17. Et affirmantium verior Opinio,</p> <p>18. Stylò Curie & rationibus stabilita:</p> <p>19. Licet, ab ignorantibus censuras,</p> <p>20. Irregularitates ex delictò provenientes,</p> <p>21. Et privationem debiti conjugalis non contrahi, concedatur.</p> <p>22. Criminis impedimentum perpetuum est.</p> |
|--|--|

A a z

Ortis

I. **O**rtis ex Voto subicitur impedimentum Criminis, ut vocatur: quod oritur ex Adulterio & Homicidio sive machinatione in necem conjugis: & matrimonii, non cum quacunque, sed cum ea duntaxat persona, quacum, aut in cujus confortem eorum alterum commissum est, contrahendi valori, quatuor casibus obstat.

B. Primus est, quò adulter matrimonium cum adultera contrahit, conjugem quem uterque vel eorum alter habet, adhuc vivente; hoc enim adulterii crimine perpetrato, non illud solum, quod utriusque vel alterius conjugis adhuc superstitis contractum est, propter intercedens inter ipsos ligaminis impedimentum: sed id etiam, quod, isto per conjugis, quem uterque vel alter habuit, obitum soluto, contrahendum est, conjugium invalidum est, ex decreto Concilii Triburiensis, *can. Relatum 31. q. 1. relato, c. 1. c. Cum haberet 3. c. Veniens 7. c. fin. hâc Rubr.*

3. Secundus casus est, quò inter duos adulterium commissum est, interveniente promissione matrimonii contrahendi post obitum conjugis, quem alter vel uterque habet viventem; nam etiam hoc casu inter illos conjugium, etiam post istius mortem, consistere non potest, *can. Relatum, c. Veniens c. fin. cit.* Quod utroque hoc casu statuendi ratio iustissima fuit; ut fidei matrimoniorum & conjugum incolunitati consuleretur, præcisâ adulteris omni spe conjugii, quod promissum est, obtinendi vel stabiliendi, quod de facto est contractum, Gonzalez in *c. fin. cit. n. 5. in fine.*

4. Ut autem utroque hoc casu adulteri ad matrimonium inter se contrahendum inhabiles reddantur, parùm refert. Imprimis, an conjugii promissio vel contractus actualis ab ipsis ante vel post adulterium initus sit, per expressam decisionem

*c. fin. cit. ibi, Si prius vel postea, hoc est, ante vel post contractum matrimonium vel de isto contrahendo sibi mutuò fidem datam (legitima uxore superstiti) cognovit eandem, Alex. de Nevo in c. cit. n. 7. & Sanchez Lib. 7. de Matrim. disp. 79. n. 3. Deinde, an matrimonium cum conjugate ratum tantum sit, vel consummatum; cum nuptiale hoc impedimentum etiam, si conjugium ratum tantum sit, contrahi, ex *c. Significavit 2. defumant Panormit. ibi n. 1. Alex. de Nevo n. 5. & Sylvester V. Matrimonium 8. q. 9. d. 4. Et demum, an conjugii viventi adulter cohabitavit, vel ab eo per divortium, ex adulterii vel quacunque aliâ causa factum, sit separatus, per textum *c. Ex literarum 2. & ibi notata à Panormit. n. 2. & Alex. de Nevo n. 3. & 5.***

Plurimum tamen refert: imò ad inducendum Criminis impedimentum omnino necessarium est

Primò; ut tam adulterium, quam ejusmodi promissio aut attentatio facta sit adulteri conjugate adhuc superstiti, ut satis clarè habetur *c. Ex literarum c. fin. cit. & cum Anchorano in c. fin. cit. n. 1. Speculat. ad hanc Rubr. §. unico n. 4. notat cit. Sanchez n. 5.*

Secundò; ut matrimonium cum prima conjugate in initum sit validum; si enim hoc esset irritum, verum adulterium non committeretur, & locus foret Regulæ, *Non præstat impedimentum, quod de jure non sortitur effectum, quæ est 52. in 6. Atque hæc ratio est, cur c. Significavit cit. præcedens matrimonium gravi metu extortum, & propterea invalidum non obstitit valori matrimonii cum alia in ita & consummati, S. Thom. in 4. dist. 35. q. unic. in fine Hostiens. in c. fin. cit. n. 4. cit. & Sanchez n. 30.*

Tertiò; ut uterque adulter sciat, alterum esse conjugatum, communis DD. sententia

sententia exigit; quia, qui hoc nesciret, non esset formaliter adulter; & propterea *c. 1. § c. Veniens cit.* vir cum muliere, ejus rei insciã, matrimonium post mortem conjugis valide contraxit, *cit.* S. Thomas *ibid.* & Sanchez *n. 31.*

8. Quartò; ut matrimonium ab uno verè, hoc est, animò se obligandi promissum: & promissio ab altero non fictè, sed verè & saltem virtualiter sit acceptata, exigunt Henriquez *Lib. 12. cap. 14. n. 3.* & Perez *disp. 33. §. 4. n. 2. § f. 5. n. 3.* id confirmantes partim; quòd impedimentum hoc à Jure introductum sit in pœnam; ac proinde de vera mutua & acceptata promissione sit accipiendum: partim verò; quòd Jura exigere videantur promissionem ex se sufficientem ad sponsalia, ad quæ promissionem veram & mutuam exigit communis sententia DD. cum; quòd actus ultra agentium intentionem non operentur, *l. Non minus 19 ff. de Reb. credit. tum verò arg. l. 1. ff. de Sponsal. & matr.* ubi hæc mentio & repromissio, sive mutua promissio futuri matrimonii esse dicuntur. Contrarium tamen & promissionem fictam, si fictio ex signis externis colligi non possit: & non-mutuam sufficere, satis probabiliter defendunt Sanchez *cit. disp. 79. n. 10. & 20.* & Palao *Tract. 28. disp. 4. p. 12. n. 11. & 12.* quòd *c. Significasti cit.* adulterorum conjugium reprobetur, si eorum alter uxore vivente fidem illi, hoc est, suo in adulterio complici, dederit de matrimonio contrahendo: quæ verba unius promissione verificantur.

9. Quintò; ut adulterium non solum attentatum, sed perfectum sit & consummatum; cum enim, ut dictum, Jura impedimentum hoc statuentia sint pœnalia, de perfectò & consummato adulterio exaudienda erunt, *arg. Regula Pœnia 15. in 6. Glossa in c. fin. cit. V. Co-*

gnoverit, ubi Panormit. n. 6. Joan. Andr. n. 4. Gutierrez cap. 105. n. 28. cit. Sanchez *n. 2. in fine & Palao n. 8.*

Tertius casus est, quò duo committunt adulterium, eoque perpetrato ipsorum alter, animò matrimonii cum altero ineundi proprium vel alienum, sive sui in adulterio complicitis, conjugem occidit; hoc enim crimine ad matrimonium inter se ineundum inhabiles redduntur, *can. Si quis vivente 31. q. 1. c. 1. c. Super hoc 3. c. Significasti 6. hâc Rubr. §. c. Tanta 6. Qui filii legit. §. c.* sive occidens vir sive femina, & sive uxor sive maritus fuerit occisus: ut de occidentibus ex *can. cit. ibi, Nisi forte adulter aut Mulier occidisse notetur*: de occiso viro ex eodem textu, & de uxore interfecta ex *c. 1. c. Super hoc 4. c. Significasti cit.* constat: Sanchez *cit. Lib. 7. disp. 78. n. 2.*

10. Ut autem hoc casu & crimine impedimentum dirimens contrahant adulteri, licet sufficiat; quòd cædes ab ipsorum uno, alterò etiam insciò, sit perpetrata; necessariò tamen exigitur Imprimis adulterium tam materiale, quàm formale, ac proinde; ut istorum unus vero matrimonio conjunctus fuerit alterius conjugii occiso: ejusque notitiam etiam habuerit alter, ut ex *c. 1. cit.* desumunt laudati Sanchez *disp. 78. n. 12. junctâ disp. 79. n. 31. Perez §. 2. n. 3. & 6. & Palao p. 12. n. 8.* Deinde; ut, sicut adulterium, sic etiam homicidiũ sit consummatum, & non solum attentatum, per *can. cit. verba, Occidisse notetur.* Unde verba, *Machinatio mortis*, quibus alii textus utuntur, cum effectu sunt accipienda, *arg. c. Relatum 4. de Cleric. non resid. S. Thomas q. cit. Glossa in c. Super hoc 3. V. Machinata, ubi Panorm. & Alex. de Nevo n. 4. Sylvester cit. q. 9. d. 1. & Sanchez disp. cit. n. 7. Præ-*

A a 3

terea;

terea; ut adulterium prius, quam cædes perpetretur; cum hanc subsequens carnale commercium adulterium non foret, ut rectè observat Pontius *Lib. 6. cap. 45. n. 5.* Et demum; ut cædes fiat animò matrimonii cum suo in adulterio complice contrahendi; ideòque, si alia intentione, vg. ut libidini liberius vacare queat, unius adulteri conjux ab illo velejus complice occideretur, ad matrimonium inhabiles non redderentur: quod *sit.* Sanchez *n. 13.* desumit partim ex *can. Si quis cit. verbis, Occidisse notetur, ut conjungeretur,* secundùm Glossam *ibi V. Notetur:* partim ex introducti impedimenti sine: qui fuit; ne quis facilè interficeret conjugem spe conjugio cum adultera potiundi. Ita ille cum SS. Thoma & Bonaventura *in 4. dist. 37. q. 2. art. 2. Turrecremata in can. Si quis cit. n. 4. Gaëta in can. Ad limina 30. q. 1. §. 4. à n. 411. Navarro Manual. cap. 22. n. 46. Brunello de Sponsal. conclus. 34. §. 5. &c.*

13. Quartus & ultimus casus est, quò duo, intentione matrimonii ineundi, unius ex ipsis conjugem occidunt; tali enim crimine istud inter ipsos contrahendum dirimi, licet adulterium non intercesserit, patet ex *c. 1. de Convers. Infidel.* Unde colligitur, hoc casu requiri; ut in alterius conjugis mortem machinatus sit uterque, vel huic violentas manus inferendò, ut à viris Saracenis: vel cædem mandandò, consulendo, aut cooperatione promovendo, ut à mulieribus Christianis factum est *c. cit.* non solummodo necem, etiam suo nomine maritis illatam, ratihabendo; quia Jura exigunt machinationem in necem, qualis mera ratihabitio non est, Glossa *in can. cit. V. Occidisse,* Hostiens. & Panormit. *in c. cit. n. 10.* Præterea; ut mors reipia ex tali machinatione (& non

imperitiâ, negligentia vel alia culpa Medici vel Chirurgi vel ipsius interfecti) sit secuta, per ea, quæ cum Glossa *in c. cit. Panormit. & Alex. de Nevo in 6. Super hoc cit. n. 4. Sylvestro cit. q. 9. d. 1. & aliis tradunt cit. Sanchez n. 7. & Pontius n. 4. Ex deductis*

Infertur, licet proposita Rubrica solius adulterii meminerit, impedimentum tamen connubiale, sicut solâ unius machinatione in mortem, sic etiam solò adulterio ab adulteris non contrahi; ac proinde ad id inducendum necessarium esse; ut inter adulteros, vel contractus matrimonii de facto, vel saltem istius contrahendi mutua promissio intercesserit, vel demum; ut eorum alter in adhuc viventis sui vel alterius conjugis mortem cum effectu sit machinatus, ut desumitur ex hæcenus allegatis præsertim *c. Significasti cit. textibus.*

Neque huic illationi adversantur *can. 1. & can. Illud 31. q. 1. Conjugium inter adulteros generaliter prohibentes, aut c. 1. hæc Rubr.* quò textu, cum dicitur, adulteros matrimonio non conjugendos, *Maximè, si machinatio in mortem, vel promissio matrimonii accesserit,* non obscure insinuator, id etiam aliis casibus non permittendum; quia dictio *Maximè,* implicat casum oppositum, idemque in eo esse, significat, ut *arg. l. 1. §. 6. ff. de Collat. bonor.* monet Covarruvias *Lib. 2. var. cap. 7. n. 5.* Non inquam *cit.* textus obstant. Priores, quia, eorum generalitatem ad tres priores casus restringendam, patet ex iis, quæ *can. Illud cit.* textui §. *Hic subaudiendum* subiicit Gratianus, asserens, *cit. textibus adulteros à matrimonio removeri, non simpliciter, sed ante peractam Pœnitentiam & iis casibus, quibus matrimonii fides, aut in necem machinatio intervenit, ut ad Rubricam præsentem Ca-*

tem Canifus n. 7. & Pirhing n. 4. observant & desumunt ex *can. Denique 2. q. cit. & c. Veniens cit.* ubi Innocentius III. ad matrimonium dirimendum præter adulterium disertè exigit fidem præstitam adulteræ vel machinationem in mortem, Posterior; quia in eo dictio *Maximè* non habet sensum implicativum; sed exclusivum vel demonstrativum; ut adulteros ad matrimonium inter se ineundum inhabiles significet solummodo in casibus Jure expressis, Panormit. *ibi, n. 2.* & Barbosa n. 5. Vel potius intelligendus est de casu non peractæ Pœnitentiæ ad mentem Concilii Triburiensis *can. Si quis veniente cit. relati & Gratiani §. Illud cit.* cujus expositionem amplexi sunt *cit.* Canifus & Pirhing: eamque prævalere in *c. fin. cit. n. 6.* notat Gonzalez: licet aliàs, impedimentum hoc solo adulterii crimine induci, cum Cuiacio existimârit.

16. Superest non levis momenti & practica dubitatio, an commissò à se aliquò ex declaratis Adulterii & Homicidii criminibus matrimonium impediri & dirimi ignorans, istud cum suo in ejusmodi crimine complice validè ineat. Affirmant id Paludanus in *4. disp. 34. q. 1. n. 17.* & Fernandez *Medull. Cas. Conscient. p. 3. cap. 16. §. 5. in fine*, qui suam hanc opinionem communem vocat apud Dianam *p. 10. Tract. 13. resol. 51.*

Ratio, qua moventur est; quòd impedimentum Criminis, ex dispositione Juris Ecclesiastici habeat rationem pœnæ illius perpetrati, & Medicinæ, ad conjugiorum fidem & incolumitatem conjugum servandam, variâque mala præcavenda conducentis: pœnas autem, præsertim Medicinales, Jure Ecclesiastico statutas ab invincibiliter ignorantibus non incurri, communis sit doctrina, & desumatur ex *c. Ut animarum 2. de Consiuit. in 6.* Quam rationem & opinio-

nem suam roborant tergemina paritate Imprimis cum excommunicatione & cæteris Ecclesiasticis censuris, quæ ab ignorantibus non incuruntur, *c. Ut animarum cit.* Deinde cum debito conjugali, cujus exigendi jus non amittit, qui cum sui conjugis consanguinea peccat, si in istius peccati reos latam illius exigendi juris privationem invincibiliter ignoret, ut multis DD. relatis docent *cit.* Sanchez *Lib. 9. disp. 32. n. 43.* & Palao *Tract. 2. disp. unic. p. 17. n. 18.* Et cum irregularitatibus provenientibus ex delicto, v.g. homicidio vel mutilatione injusta aut censura violatione: quas hujusmodi vel alteri delicto à Jure annexas ab invincibiliter ignorantibus non contrahi, cum Panormit. in *c. Pastoralis 53. §. Verùm de Appellat. n. 15.* volunt Sylvester *V. Ignorantia 9. §. d. 1. & 3.* & alii apud *cit.* Sanchez *disp. 31. n. 17.* & Suarez *de Censur. disp. 4. §. 9. n. 22.*

Nihilominus & veriùs, ab ejusmodi ignorante cum suo in adulterio vel machinatione complice matrimonium sine dispensatione validè iniri, negant Diana *Resol. cit. Gobat Experient. tract. 9. n. 202.* Matth. Moia *Tract. Miscell. 9. 14. n. 15.* & his testibus multò frequentiori calculo cæteri DD. quibus, licet hunc juris articulum ad examen non vocârit, meritò accensetur *cit.* Sanchez *disp. 40. n. 7.* ad inducenda nuptiarum impedimenta Juris ea constituentis notitiam exigì, generatim negans. Accedit Juris optima interpret Consuetudo seu praxis Romanæ aliarumque Curiarum Ecclesiasticarum, propositi utriusque criminis complices relatis quatuor casibus ad nuptiale foedus nunquam admittentium sine dispensatione, testibus *cit.* Moia *n. 17.* & Corrado *Prax. dispens. Apostol. Lib. 8. cap. 9. n. 7.*

Eosd em ad hoc non admittendos, persuadet

persuadet Primò; quòd sacri Canones, quibus proditum est hoc impedimentum, id quatuor enumeratis casibus contrahi, asserant omnino generaliter & indistinctè: & quantumvis conditiones ad illud inducendum necessarias v.g. notitiam adulterii & homicidii, animum sive intentionem ineundi matrimonium expresserint, ullò tamen verbò non meminerint notitiæ Juris, sive nuptialis impedimenti utrique illi crimini annexi. Unde, sicut locuti, sic etiam exaudiendi sunt generaliter & indistinctè: neque ad personas impedimenti Jure constituti notitiam habentes restringendi, *arg. l. De pretio 8. ff. de Public. in rem act. & can. Consulisti 2. q. 5. ubi Stephanus Papa sacrae Sedis Moguntinae Antiliti rescribens, Quod, inquit, sanctorum Patrum documentò sancitum non est, superstitiosà adinventionem non est presumendum.* Secundò; quia, sanctionum Ecclesiasticarum ignorantia non obstante, contrahuntur cætera conjugiorum impedimenta omnia & in specie etiam affinitas proveniens ex copula fornicaria, de qua contrarium statuere, neminem facile ausurum, ait *cir. Moia n. 17.* Quare, cum de impedimento, quod homicidiò vel adulterio inducitur, aliud statutum non reperitur, id quod in cæteris & præsertim in affinitate illa, etiam in propositi criminis utriusque impedimento obtinebit; cum, sicut ejusmodi affinitate conjunctos, sic etiam criminum illorum complices connubiali fœdere sociari, conveniens ac decens non sit. Tertiò; quia impedimentum criminis, licet poenæ quoque habeat rationem, principaliter tamen est quædam inhabilitas personarum & conditio annullans contractum matrimoniale inftar cognitionis naturalis, affinitatis &c. sicut enim inter cognatos & affines conjugia iniri & inita subsistere,

propter naturalem quandam indecentiam Jura veterunt; ne ex personarum propinquitate orta conversationis assiduitas nimiaque & cum nuptiarum obtinendarum spe conjuncta familiaritas animam præbeat actibus inhonestis, sic etiam quicumque in conjugalem thorum aut vitam conjugis triste aliquid machinari non verentur, ad conjugium inter se ineundum inhabiles redditi sunt; quòd eos legitimo matrimonio copulari inhonestum valde & publicè pernitiosum videretur; ne conjugio cum complice potiundi spe ad insidias conjugali thoro aut vitæ conjugis struendas facile quis invitaretur: utque ita fidei conjugiorum & conjugum incolunitati confuleretur, præcisa complicibus est omnis spes matrimonii, quod promissum est, obtinendi, aut stabilendi, quod est contractum. Cum ergo inhabilitates, quæ merè poenales non sunt, ab ignorantibus contrahantur, sicut inter cognatos & affines &c. sic etiam inter ejusmodi criminosos inita matrimonia nulla erunt, Ecclesiastici Juris ignorantia non obstante.

Confirmantur ista; quia, si criminis impedimentum non contrahitur ab ejusmodi ignorante, eò etiam non tenetur, qui ejus adulterio vel homicidio annexi hujusmodi criminis commissi tempore ex inadvertentia vel oblivione non recordatur; quia ignorantia, inadvertentia, oblivio, quoad vim eximendi à culpa & poena, à DD. æquiparantur apud Suarez 3. p. disp. 4. s. 8. n. 11. & Dianam p. 3. tract. 5. res. 41. Quæ illatio cum teste *cir. Moia* à nemine facile admittatur, criminis impedimentum proposita ignorantia non tollet.

Ex his planè corruiat adversæ partis fundamentum; quia impedimentum hoc principaliter non tam poena quam inhabilitas Jure constituta est; quòd in contrahendis

trahendis matrimoniis vel maximè, quid deceat honestumque sit, inspiciatur, *l. Adoptivus 14. §. 2. ff. de Ritu nupt. & l. Semper 197. ff. de R. I. matrimonium autem initum inter personas, quæ conjugalem thorum, etiam sine pactione nuptiali & machinatione in necem, & multò magis cum istis polluissent, publicè valde inhonestum ac perniciosum, & propterea irritatum etiam fuerit Jure Civili veteri, l. Claudius 23. ff. de His, quæ ut indigno. l. Miles 11. §. 11. ff. ad L. Jul. de Adult. & novissimo Novell. 134. cap. 12.*

19. Neque propositi impedimenti paritas est Primò cum censuris; quia ista exigunt contumaciam & contemptum potestatis Ecclesiasticæ, sub ipsarum comminatione aliquid prohibentis vel præcipientis; cum sint pœnæ medicinales, ad correctionem seu frangendam contumaciam & inobedientiam erga Ecclesiam, eas proponentem, constitutæ, *c. Ex parte 23. de V. S. & c. 1. de Sent. excom. in 6. & non incurrantur sine prævia monitione sive earum comminatione, c. Sacro 48. junctâ Glossâ V. Competente, de Sent. excom. ab homine, si censura ferendæ c. Romana 5. c. Constitutio nem 9. c. Statutum 13. eadè Rubr. in 6. & si lata sententiæ sint, à Jure ita facta; ut sui horrore à contumacia & inobedientia valeat abstergere, *arg. c. 1. cit. & c. fin. de Constitut. in 6.* is autem, qui legem sub censura vetantem, aut præcipientem invincibiliter ignorat, dici nequit Imprimis Ecclesiasticæ potestatis censuram minitantis sive Ecclesiæ Clavium contemptor & in eam contumax; neque enim disciplinam contemnit, qui ignorat, *l. Si ignorans 50. ff. Locati. Laiman. in c. fin. cit. n. 2.* Deinde ita monitus; ut censura horrore à legis transgressione & contumacia valeat abstergeri; cum, ut*

propositæ pœnæ metus absterreat, eam innotescere sit necesse, *arg. l. cit. Covarruvias in c. Alma. p. 1. §. 10. n. 9. Suarez disp. 4. de Censur. f. 1. n. 1. & 19. cit. Sanchez Lib. 9. de Matrim. disp. 32. n. 13. & alii, quos refert & sequitur Palao Tract. 2. disp. 1. p. 17. n. 5.*

20. Neque secundò cum irregularitatibus ortis ex delicto; quia istæ, licet non puræ, principaliter tamen pœnæ sunt; cum per hoc, quòd tales sint, distinguantur ab iis, quæ oriuntur ex defectu, & puræ inhabilitates esse videntur. Si hoc de irregularitatibus ex delicto ortis negetur, eas instar propositi criminis impedimenti ab ignorantibus contrahi, statuendum est cum aliis, quorum sententiam Laiman. *Lib. 1. tract. 5. p. 1. cap. 5. n. 8.* tanquam communio rem, Cardenas *Crisis Theolog. p. 3. disp. 75. n. 37.* tanquam certam tuentur.

21. Neque tertio cum privatione debiti conjugalis; quia ista (ut omittam; quòd, eam ab hujusmodi ignorantibus incurrì, communis DD. sententia sit) vel pura vel saltem principaliter pœna est: contra, quòd ex adulterio & machinatione in mortem conjugis oritur, conubiale impedimentum principaliter, ut dictum, inhabilitas est; ut adeò mirum non sit, istud perinde: ut affinitatem & cætera hujusmodi impedimenta, etiam contrahi ab iis, qui sacros Canones, quibus introducta sunt, ignorant.

22. Aliud & non ita pridem motum dubium est, an propositum criminis impedimentum perpetuum sit; fuere enim viri aliàs non indocti, qui hoc inficiarentur: & quòd nuptiale hoc obstaculum, quòd adulterinò commercio, accedente matrimonio vel istius promissione, contractum est, ipsò recessu à matrimonio istiusve promissione, & commercio illo cessante, cessare existimarent, adulteris

B b conjugio

conjugiō post ejus, quem alter habebat, conjugis obitum potiundi spe factā, ab adulterina consuetudine mutuāque matrimonii promissione recessum & arrharum restitutionem persuaderent. Sed id ze-
lō quā Juris peritiā majore; quōd crimi-
nis impedimentum ita cessare, ullā Ju-
ris autoritate vel ratione non evincatur,
cit. Sanchez Lib. 7. disp. 79. n. 7. Imō
Jus matrimoniō copulari indiscriminatim
non permittat adulteros, qui illud de-
facto contraxerunt vel de contrahendo fi-
dem sibi mutuo dederunt, *san. Relatum*
c. 1. Sc. cit. & c. Veniens cit. conjugium
cum adultera, si fides ei data sit, irri-
tum pronuntietur, recessu ab ista & ad
legitimam uxorem reditu non obstante:
idque justissimā ratione; quōd, si ab
impedimento semel contracto se dictō
modō eximere valerent, illius introdu-
ctione matrimoniorum fidei parūm fuif-

set prospectum; cūm ab adulterino com-
mercio eos absterrendi vim non haberet
ademptio spei conjugii potiundi, si tem-
poranei ejusque brevissimi recessus bene-
ficiō impedimentum tolli, & amissam il-
lius spem recuperari posse, adulteri sci-
rent. Aliud esset, si ante adulterium
commissum à matrimonii de facto initi
contractu vel promissione recederent;
cūm enim tali casu matrimonii contra-
ctus vel promissio alterius conjugis vi-
vente cūm adulterio non concurreret,
impedimentum nuptiale non contrahere-
tur, per text. *c. fm. cit.* ad hoc inducen-
dum adulterii cum matrimonio vel istius
promissione concursus exigentis, ut *ibi*
cum Ant. de Butrio *in fine*, Anchorano
n. 2. Boich. *n. 3.* observant Speculat. *ad*
hanc Rubric. §. Unio. n. 4. Sotus *in 4.*
dist. 37. q. unic. art. 4. & cit. Sanchez
n. 5.



TITULUS VIII.

De Conjugio Leprosorum.

SUMMARIUM.

1. Matrimonium inire possunt infecti leprā:
2. Qua tamen antecedentia sponsalia:
3. Non etiam matrimonium solvit:
4. Etiam si hoc nondum sit consummatum.
5. Lepra non est justa causa Divortii:
6. Nisi notabile periculum asserat infectionis.
7. Eadem aliorum morborum contagio-
forum ratio est.

8. A leproso divortium non facile sua-
dendum est:
9. Et facilius à thoro, quā à cohabit-
tatione permittendum,
10. Saltem si lepra matrimonium non
anteceffit.

CUm leprosi à civitatibus & ho-
minum consortio passim arce-
antur, individuae vitæ societa-
ti, quæ conjugio initur, non
minùs quā alia nuptiarum impedi-
ta obtare videri, & iis interferi non
immeritō